

64. ad 70. et verb. *Eucharistia*, n. 17. et 18.

(29. Non est necesse, quod Extrema Unctio conferatur a pluribus Sacerdotibus; cap. *Quæsit* 14. de verb. *Signific.* ibi: « Sacerdos uno præsentate clerico, et etiam solus potest infirmum ungeri. » Est communis.

(30. Immo extra necessitatem non est licitum quod Unctiones fiant a pluribus, saltem apud nos Latinos. Communis. Ecclesiæ enim consuetudo, et praxis declarat, ut unus Minister omnes Unctiones, adeoque totum Sacramentum perficiat, excepto casu necessitatis; (31. Ut si infirmus videatur moriturus, antequam unus solus minister omnes Unctiones perficere possit, tunc plures ministri possunt ipsas unctiones perficere, ita ut unus unum sensum ungat proferendo formam ei correspondentem, et alter alterum ungat sensum prolata itidem forma ei correspondente, et sic de communi testatur Suarez disp. 43. sect. 2. num. 8. Et fortasse S. Jacobus idcirco Presbyteros nominavit, ut significaret plures ad hujus Sacramenti ministrationem concurrere posse. Layman lib. 5. tract. 8. c. 6. in fine. (32. Sic etiam si dum Sacerdos ungit, corripitur repentino morbo, et moriatur, alius Sacerdos potest, et debet perficere unctiones partium non unctarum, unctiones tamen a primo factas non iterando. Act. *Eccles. Mediolanen.* tom. 1. part. 4. de Sacramento *Extremæ Unctionis*, vers. *Si Ager*, est Communis. (33. Nunquam potest, nec licite nec valide conferri hoc Sacramentum a pluribus simul, ita ut unus Sacerdos ungat, et alter formam proferat; Ita de communi testatur Nugnus in addit. ad tertiam partem quæst. 41. art. 3. et Rosignolus, loc. cit. art. 3. n. 3.

(34. Subjectum capax hujus Sacramenti est solus homo baptizatus, rationis capax, et in periculo probabili mortis constitutus, ex morbo, vulnere, partu, et senectute, et morsu rabido. Communis. (35. Pueris usum rationis habentibus dari potest Extrema Unctio, etiam antequam ad S. Eucharistiam admittantur. Item moribundis sensibus destitutis, licet Communionem non possint recipere, si ante petierint, aut christiane vixerint. Et sic etiam dari potest phreneticis, et delirantibus. Non tamen perpetuo amentibus. Communis. (36. Nec potest dari hoc Sacramentum iis, qui sine aliqua infirmitate versantur in periculo mortis, ut præliaturi, in naufragio constituti, morte plectendi, mulieres partui periculoso vicinæ, et hujusmodi, quia licet de eorum morte timeatur, non sunt tamen infirmi, quibus solum est administranda extrema Unctio, juxta textum *Divi Jacobi* cap. v: *Infirmatur quis in vobis*, etc. (37. Extrema Unctio iterum conferri potest, si infirmus, postquam revaluisse videbatur, in periculum mortis recidat. Communis. (38. Nullum præceptum extat extremam Unctionem recipiendi, cum ad salutem necessaria non sit. Sic S. Thomas in 1. dist. 23. qu. 1; Scotus in 4. dist. 7. qu. 2; S. Bonaventura, et alii communiter. (39. Unde non suscipere hoc Sacramentum per se loquendo, secluso

scandalo, et contemptu, non est peccatum mortale, et multo minus peccant mortaliter domestici, si id non procurent. Communis. (40. Est tamen peccatum mortale ipsum negligere, seu non suscipere ex contemptu. Communis; et patet ex verbis Concilii Tridentini l. cit. cap. 3. ibi: « Nec tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus Sancti injuria esse posset. » (41. Sic etiam hoc Sacramentum non suscipere, seu negligere, posset esse peccatum mortale ratione scandali secuturi, ut si infirmus interrogatus, num ante vitæ exitum velit illud accipere, et ipse nulla rationabili causa allata renuat, atque exinde audientes, vel possunt de illo falsam suspicionem hæresis concipere, vel ob Personæ auctoritatem et characterem, possint moveri ad hujus Sacramenti vilipensionem. Communis.

(42. Parochus peccat mortaliter, si infirmo petenti hoc Sacramentum negligat aut sine justa causa differat illi conferre cum probabili periculo, ne sine ipso Sacramento moriatur infirmus; in re enim gravi non præstat id, ad quod tenetur ex justitia. Communis. (43. Immo Parochus tenetur sub mortali ministrare sive per se, sive per alium Extremam Unctionem infirmo peste infecto etiam cum periculo contagii, si ipse infirmus non possit aliud Sacramentum recipere; tunc enim est extrema necessitas Parochiani forte constituti in mortali quo per hoc Sacramentum liberari potest, vel si in mortali non sit, poterit accipere vires ad resistendum Dæmoni, et feliciter emigrandum. Sic communiter doctores, cum Carden. in 1. *Crisi* disput. 77. c. 3. n. 23. (44. Quinimo Parochus tenetur etiam cum periculo Contagii ministrare sive per se, sive per alium hoc Sacramentum moribundo peste infecto, etiam si receperit Sacramentum Pœnitentiæ, sed non Eucharistiæ, quia licet in tali casu non esset in extrema necessitate, esset tamen in gravi, in qua etiam tenetur subdito subvenire Parochus; potuit enim Pœnitentia ex parte dispositionis Pœnitentis fuisse defectuosa, quæ per hoc Sacramentum per accidens supplebitur in ordine ad causandam primam gratiam; sic ut certa traditur a Card. l. cit. num. 34. et La Croix lib. 1. part. 2. num. 2112. Intellige tamen modo dicto sub verb. *Pestis* n. 8. et 9. Vide ibi.

(45. Effectus speciales et præcipui Sacramenti Extremæ Unctionis sunt quatuor. Primus est remissio peccatorum venialium primario, et per se, si quæ habeat infirmus nondum aliunde remissa, et remissio mortalium secundario, et per accidens, si v. g. infirmus reperitur cum peccatis mortalibus a se invincibiliter ignoratis, quatenus bona fide confessus est, sed ob aliquem defectum essentialem a se invincibiliter ignoratum confessio fuit invalida, tunc enim hoc Sacramentum confert per accidens primam gratiam. Sic communiter Doctores, et colligitur ex textu *D. Jacobi*, ibi: *Et si in peccatis sit, dimittuntur ei*, super quæ verba Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. de *Extrema Unctione*.

explicans rem, seu effectum hujus Sacramenti, sic ait: « Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus Unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit. » (46. Secundus effectus est alleviare infirmum; textu expresso in cit. *Canonica D. Jacobi* cap. v. ibi: *Et alleviabit eum Dominus*. Dicitur autem hoc Sacramentum alleviare infirmum, in quantum, ut ait Concilium Tridentinum, loc. cit., « Ægroti animam alleviat, et confirmat, magnam in eo Divinæ Misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda, ac labores levius fert, et tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit. » (47. Tertius hujus Sacramenti effectus est peccatorum reliquias abstergere. Conc. Trid. loc. cit. ibi: « Ac peccati reliquias abstergit. » quæ peccatorum reliquias ex communi Theologorum sunt animi languor, torpor, mœror, tristitia, fastidium, anxietas, et aliæ hujusmodi pravæ affectiones, quæ ex peccatis præteritis eorumque recordatione oriri solent, et Dæmon in illo tunc vehementius suscitatur, et in mentem moribundi efficacius inducit, ut facilius ad finalem desperationem reducat, juxta illud *Apocalypsis* cap. 12. num. 12. ibi: *Descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet*, et juxta illud Concilii Tridentini loc. cit. ibi: « Etsi Adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat, et capiet, ut devorare animas nostras quoquomodo possit, nullum tamen tempus est quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, Divinæ Misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ respicit. » Unde ad supradicta omnia removenda, et superanda plurimum conducit digna hujus Sacramenti susceptio, juxta verba Tridentini allata supra n. 46. (48. Quartus hujus Sacramenti effectus est liberare infirmum ab infirmitate sua corporali, ubi salutis animæ id expedierit, juxta illud *D. Jacobi* Apostoli cap. v. ibi: *Et oratio fidei salvabit infirmum*; et notat Concil. Trid. loc. cit. c. 2. dicens, quod infirmus virtute hujus Sacramenti, « sanitatem corporis interdum, ubi salutis animæ expedierit, consequitur. »

(49. Oleum infirmorum asservari debet in Ecclesia tantum, nisi Episcopus concesserit alicui illud tenere domi ob distantiam domicilii. Act. *Eccles. Mediolan. Concil. Prov.* 3. (50. Et eo casu domi in fenestella panno serico vestita intus, et sub clavi retineri debet; *ibid. Concil. Prov.* 4. (51. Sacculus pro includendo oleo infirmorum debet esse violaceus, cum chordulis, ut de collo pendens ad ægrotos deferri possit. *Ibid. Concil. Prov.* 3. Gavant. *Manual. Episcoporum*. verb. *Olea Sacra*.

(52. Per unum, vel plures Presbyteros Græcos administrari potest Extrema Unctio, ubi viget talis consuetudo; (53. dummodo credant, et asserant illud Sacramentum, servata debita materia, et forma ab uno Presbytero valide, et licite confici. (54. Et dummodo idem, qui ungit, formam

proferat Sacramenti, nec alius ungat, et alius formam pronunciet. Benedictus XIV, tom. 1. Constitut. 57. incip. *Etsi Pastoralis* § 5.

Juvat hic summatim collecta subijcere quæ in præsentia materia tradit Benedictus XIV in suo eximio opere de *Synodo diœcesana*.

(55. Extremam Unctionem verum esse novæ Legis Sacramentum a Christo Domino institutum per Apostolum Jacobum fidelibus commendatum, et promulgatum, Tridentini PP. definiverunt. Materia ejus remota est oleum ex olivarum bacchis expressum, nulli alteri materiæ saltem ex perpetuo usu Ecclesiæ immixtum; quæ tamen materia, si in parva quantitate fuerit adeo ut non destruat olei speciem, validitati Sacramenti nequaquam officit. Debet vero oleum istud Episcopali benedictione ante sacrari, ut ex antiquissima PP. traditione colligitur. Ita tamen ab Episcopo esse illud oleum benedictum oportet, ut nihilo secius possit ex commissione sive tacita, sive expressa Romani Pontificis a simplice Sacerdote consecrari, ut ex more vetustissimo Ecclesiæ Orientalis eruitur; ita docet Pontifex cit. Op. lib. 7. c. 16.

(56. Unctionis extremæ forma in Rituali Rom. expressa est deprecativa, nunquam tamen definitum est ab Ecclesia, an hæc ita necessaria sit, ut non æque ad Sacramenti validitatem sufficiat, si indicativo modo concipiatur; satis enim constat formam illam expressis verbis nequaquam institutam fuisse. Constat tamen, aliter quam in Rituali exhibeatur, proferri absque gravi flagitio privata auctoritate non posse.

(57. Partes unguendæ aliæ quidem necessariae sunt, ut Sacramentum fiat: aliæ necessitate, uti vocant, præcepti; aliæ vero, ratione aliqua suadente, tuto omittuntur. Ex his postremis sunt pedum et renum unctio; hæc enim in feminis omittitur, illa vero ex gravi incommodo præteriri potest. Cæteræ quinque sensuum unctioes saltem ex præcepto adhibendæ sunt; num vero singulæ ita sint necessariae ut absque illis Sacramentum non consistat, alii aliter disputant. Si necessitas urgeat, ægri, qui mox decessurus timetur, unicus sensus unguendus est, ea pronunciata forma, quam Rituale in his rerum eventibus assignat, caput tamen præferendum. *ibid.* cap. 18.

(58. Sacramenti hujus ministros esse Sacerdotes nemo, qui fidem Christi profitetur, negaverit; ita definiente Tridentino sess. 14. cap. 4. Quamquam vero conferri a pluribus simul Sacerdotibus valeat, modo tamen singuli suum diversum sensum cum forma eidem debita inungant, usus tamen jam inde a pluribus sæculis in latinam Ecclesiam invectus extra articulum necessitatis fert, ut unus tantummodo sacro oleo liniat, totumque perficiat Sacramentum, cui mori citra lethalem culpam se non conformare nemo potest. *Ibid.* cap. 19. § 5. Laudabile tamen fuerit si dum res sacra peragitur plures adsistant Sacerdotes, vel saltem probi viri, *Ut oratio totius Ecclesiæ* ad effectum hujus sacramenti coadjuvet, quæ verba sunt S.

Thomæ cap. 43. lib. 4. *contra Gentes*; *ibid.* § 5.

(59. Ministrare istud Sacramentum valide omnes Sacerdotes possunt; uni tamen Parocho de jure competit, cum sit ejus minister ordinarius. Alii, si id audeant absque Parocho facultate, contra statutum in Catechismo Romano, peccant. Quinimo Religiosi ægrotum ungentes, minime a Parocho petita venia præter gravis culpæ reatum in excommunicationem incidunt Apostolicæ sedi reservatam in Clement. 1. *de Privileg.*, excluso tamen necessitatis articulo, in quo actum caritatis, non auctoritatis abusum exercent. Hæc dicta sint de Latinis Sacerdotibus, cum de Græcis alia sit ratio; nam apud illos mos est, nec a Romanis Pontificibus improbatum, ut in hoc Sacramento conferendo septem Sacerdotes, vel saltem tres præsto sint. *Ibid.* § 8.

(60. Unguntur vero fideles tali morbo laborantes, unde peritorum iudicio mors proxime secutura prudenter timeatur; quare denegandum est eis, quibus certum non adest vitæ periculum, puta mare transgressuris, prælium inituris, ultimo supplicio afficiendis: cum hoc illis desit, quod morbo periculoso laborent. Hoc vero morbi gravis periculum ita necessarium est, ut sanis collatum Sacramentum, vel nullum sit, vel illicitum. Neque urget Græcorum consuetudo ungenti bene valentes; nam si id agant rati se conferre verum Sacramentum, increpandi acriter sunt, et prohibendi: sicut tunc etiam, cum, ut apud illos interdum fit, loco satisfactionis per Confessarios imponendæ, penitentes inungunt. *Ibid.* cap. 20. per tot.

(61. Providendum est tamen a Parocho, ne in hoc Sacramento administrando supremum vitæ articulum expectet; sed maturius id agat, cum æger nondum sensibus destitutus, precibus Sacerdotis suas etiam adjungere velit. Providendum illi est etiam, ne hoc Sacramentum, quamquam non est de præcepto, petentibus denegat; id enim si vel ille negaret, vel non offerret, gravem culpam committeret. Quin nec desunt plures, qui opiuntur, ægrotum negantem recipere Sacramentum, reum haberi lethalis culpæ, cum ex contemptu Sacramenti id renuere merito censi possit. *Ibid.* cap. 22.

(62. Pueris ante usum rationis ex perpetua Ecclesiæ doctrina non datur, quamquam, ut id licite fiat, ætas illa firmior expectanda non est, qua Sacramenti Pœnitentiæ capaces censentur. Pueris accensendi sunt etiam perpetuo amentes, et furiosi, quibus constans fuit per totam vitam amentia. Constans, inquam, nam si adulti usum rationis aliquando obtinuerunt, tuncque inciderunt in amentiam, cum aliquid criminis committere potuerint, utique inungendi sunt. *Ibid.* cap. 21.

(63. Sed quid, si subita vi morbi correpti in amentiam incidant, ut petere Sacramentum minime valuerint? Eos profecto hoc Sacramento juvari oportet, si præsertim sensibus destituti, aliorum Sacramentorum remedio juvare se non possint. *Ibid.* cap. 21. per tot.

(64. Ordo in hoc Sacramento conferendo quamquam non idem fuerit semper in tota Ecclesia, cum alii statim post Sacramentalem absolutionem ante Viaticum ægrotos inunxerint, alii post Viaticum: cum tamen Ecclesiæ Romanæ disciplina in Catechismo Concilii Trident. expressa postremam hanc agendi rationem servaverit, æquitatis ratio postulat ut ab ea non recedatur. *Ibid.* cap. 23.

(65. Eodem morbo et periculo perseverante, repetere Sacramentum istud non licet; si vero morbi vis ita remiserit, ut recessisse periculum mortis videatur, iterumque recedat, et novum mortis periculum urgeat, tum iterum unctio peragenda est. *Ibid.* In dubio tamen num morbi status sit mutatus, seu num idem perseveret, expedit ut ad Sacramenti iterationem Parochus propendeat. *Ibid.*

(66. An teneatur Parochus Sacramentum hoc administrare peste laborantibus? Ex doctrina Suarezii tenetur, quatenus valeat absque morali vitæ periculo.

(67. An valeat Sacramentum, si instrumento, nempe penicillo inungatur corpus ægroti peste infecti, nihil deducitur; asseritur tamen ritum talem in Ecclesia hucusque fuisse inusitatum; *ibid.* c. 19. § 17. nov. edit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(68. Apud Græcos oleum a Presbyteris benedicunt; Goar. *Innot. ad ritual. Græcor.* not. 22. (69. Benedicit utique et ipse Episcopus ritu Græcorum feria quinta in Cœna Domini sacrum oleum, sed vix facta benedictione, totum oleum consumitur, idque quia Græcorum more, « Cuncti (ait Goar *ibidem*) accessuri ad sacram synaxim in peccatorum expiationem sese ungentos offerunt, et Episcopus ipse primus omnium Oeconomus manu unctionem suscipit, quem deinde omnes alii sequuntur, et ab Episcopo ungentur: » (70. Hac itaque unctione licet cæremoniali, « quum oleum totum consumitur, facultatem illud denuo consecrandi privato cuicumque Parocho ipsi Pontifices tacite ex antiquo more videntur remittere: » ita pergit Goar ubi supra. (71. Nec hanc Græcorum disciplinam unquam improbavit Ecclesia Latina, immo approbavit Clemens VIII. in sua instructione ad Episcopos Latinos.

(72. 73. Patet hinc, Concilium Tridentinum non eo sensu oleum ab Episcopo benedictum materiam hujus Sacramenti reputasse, quasi ex divina institutione sine hujusmodi oleo conferri valide hoc Sacramentum nequiret, sed dumtaxat eam esse veram et sufficientem, ac etiam necessariam, spectata scilicet Ecclesiæ Latinæ consuetudine.

(74. Nec forma deprecativa, qua ex Decreto Eugenii IV. et Synodi Tridentinæ utitur Ecclesia Latina, est necessaria ex institutione divina. (75. Eam nunquam adhibuit Ecclesia Græca; et tamen Ecclesia Latina nunquam de validitate collati hujus Sacramenti cum forma a Græcis usitata, ipsis quæstionem movit. (76. Quinimo ipsa Ecclesia Latina

multis sæculis ipsam ignoravit, et usa fuit forma indicativa, ut patet ex *Sacramentario S. Gregorii* apud Ugonem Menardum pag. 251. et notis ipsius Menardi pag. 332. (77. Ostendit præterea Menardus *ibidem*, Formam Ambrosianam relatam a S. Bonaventura esse indicativam. (78. Confer quoque Morin. *de Administr. Sacram. Pœnitent.* lib. 8. cap. 16. Launoium in speciali libro *de Sacramento unctionis infirmorum*, qui docet, Christum nullam specialem formam hujus Sacramenti instituisse, sed eam instituendi libertatem Ecclesiæ suæ reliquisse.

(79. Quoad partes inungendas, magna etiam fuit olim Ecclesiarum diversitas. De hac diversitate consule mox laudatum Launoium in citato libro sub hoc titulo: *Explicata Ecclesiæ traditio circa partes corporis, quæ ungentur in Sacramento Extreme unctionis* cap. 1. et cap. 2. observ. 1.

(80. Ministros hujus Sacramenti esse Presbyteros, docuit S. Jacobus, confirmavit traditio Ecclesiæ, et declaravit Concilium Tridentinum. (81. Plures vero S. Jacobus Presbyteros inducit. (82. Quare ritu Græcorum plures interveniunt, nec tantum intersunt, sed etiam inungunt; Goar, in not. ad *Ritual. Græcor.* pag. 408. et 438. (83. Neque Græcorum tantum sed et Lat. praxis antiquitus fuit, ut plures Presbyteri ad Sacramentum ministerium vocarentur, atque simul pro infirmo orarent, ut patet ex *Sacra-*

mentario S. Gregorii apud Menard. pag. 253. (84. Seculo vero XII. fuit dubitatum, an plures requirentur, et unum sufficere fuit resolutum cap. 14. de V. S. (85. Secundum vero modernam disciplinam non quilibet Presbyter, sed solus Parochus est Minister hujus Sacramenti.

(86. Solis infirmis ex sententia S. Jacobi, traditione Ecclesiæ, et Concilio Tridentino, hoc Sacramentum administrandum; (87. et ex Rituali Romano constat, requiri infirmitatem periculosam, et quidem talem, ut ob eam videatur naturale mortis periculum imminere. (88. Hæc tamen gravitas infirmitatis non eo usque extendenda est, nec administratio hujus Sacramenti tamdiu differenda, ut nulla convalescentiæ spes supersit, aut ipse infirmus sensibus, et ratione destitutus sit.

(89. An mulieribus in partu laborantibus, hoc sacramentum administrandum? (90. Quomodo administrandum Pueris? (91. Amentibus quomodo administrandum? (92. Et demum, quomodo administrandum infirmis sensu, ac ratione destitutis? tradit Van Espen. *Jur. Eccles. univers.* part. 2. tit. 8. cap. 2. num. 8. et plur. sequent.

(93. De diversitate olim opinionum, circa iterationem hujus Sacramenti, tum de præsentis disciplina, consule pariter eundem Auctorem ubi supra c. 3. a n. 26 ad finem.

F

FALCIDIA.

SUMMARIUM.

1. Falcidia quid sit? — 2. Assignatur motivum ejus originis. — 3. Falcidia dicta est a Falcidio Tribuno plebis, qui illam tulit sub Octaviano Imperatore. — 4. Trebellianica quid sit? — 5. Trebellianica dicta est a Trebellio consule, a quo prodit Senatusconsultum Trebellianum. — 6. Sicuti per Falcidiam positum est temperamentum Legatis: ita per Trebellianicam, seu SC. Trebellianum positum est temperamentum Fideicommissis. — 7. Falcidia, et Trebellianica in hoc differunt, quod Falcidia detrahatur a nimis et excessivis legatis, Trebellianica vero ab excessivo Fideicommissio universalis; et quod Falcidia derivetur a Falcidio, Trebellianica a Trebellio: Vide aliam differentiam sub num. 55. — 8. Falcidia detrahitur ex omnibus bonis post mortem Testatoris repertis, solutis tamen prius omnibus ejus debitis, expensis funeris, et mercede, seu pretio servorum. — 9. Hæres prætendens hujusmodi detractionem, tenetur ipse probare legata excedere Doctantem, seu tres partes hereditatis. — 10. Et si fiat locus dictæ detractioni, hæres tenetur ea omnia in Falcidiam computare, quæ cepit Jure hereditario. — 11. Non autem tenetur hæres computare in Falcidiam ea quæ capit Jure legati, aut Fideicommissi particularis. — 12. Falcidia non solum detrahitur a Legatis, sed etiam a Fideicommissio particulari. — 13. Item Falcidia detrahitur etiam a donationibus mortis causa factis. — 14. Quantitas bonorum in ordine ad detrahendam Falcidiam, illa præcise debet attendi, et computari, quæ post mortem Testatoris deducto ære alieno, reperta fuit. — 15. Falcidia non detrahitur a Legatis privilegiatis. — 16. Sic Falcidia

non detrahitur a Legatis ad pias causas. — 17. Pars Falcidiæ, quæ non potest detrahi a Legatis piis, non est oneranda legatis profanis. — 18. Falcidia non detrahitur ex legatis relictis Ecclesiæ. — 19. Neque detrahi potest Falcidia ex iis, quæ relinquuntur Confraternitatibus, sive cum Episcopi auctoritate, sive absque ea institutis. — 20. An Falcidia sit detrahenda inter duas causas pias? — 21. Hic cum distinctione est procedendum. Vel ipsæ causæ piæ, scilicet tam instituta hæres, quam legataria, sunt æqualiter favorabiles cultui Divino, Religioni, aut animæ Testatoris: et tunc non est detrahenda Falcidia de legatis piis a causa pia instituta. — 22. Vel causa pia, seu Ecclesia instituta hæres est magis favorabilis cultui Divino, Religioni, aut animæ Testatoris, quam causa pia legataria: et tunc Ecclesia potest detrahere Falcidiam ex legatis piis. — 23. Vel causa pia legataria est magis favorabilis animæ Testatoris, quam causa pia instituta Hæres, et in hoc casu ex legatis piis non potest deduci Falcidia. — 24. Falcidia nullimode detrahitur legatis relictis cum onere Missarum, vel pro exoneratione conscientiæ. — 25. Falcidia non habet locum in casu Militis. — 26. Neque Falcidia habet locum in casu, quo Testator prohibet Falcidiæ detractionem a legatis, etc. — 27. Hodie de jure communi potest Testator prohibere Falcidiæ detractionem. — 28. Immo Falcidia prohiberi potest a Testatore non solum expresse, sed etiam tacite verbis generalibus, et æquipollentibus, quæ aliud commode significare non possint. — 29. Hinc censetur prohibita ex prohibitione alienationis. — 30. Et ex eo, quod Testator mandaverit integram suam hereditatem, vel legatum ad aliquem pervenire. — 31. Idem procedit, quoties